

ut, in hoc statu rerum afflictissimo, preces ac vota unanimiter ad
 DEUM conjungant ardentia, orantes serio totis pectoribus, ut
 inter atoces hosce nutantis imperij motus, ac conquassata Germa-
 nia, procellis saevissimas, prae potentiis sua dextrâ clementer hic &
 alibi protegat, defendat ac conservet sinceram atq; orthodoxam
 Ecclesiam Evangelicam: confundat & dissipet Diaboli atq; asse-
 clarum illius machinationes fraudulentis & sanguinaria consilia:
 Praesidio muniat caelesti, Domum Electoralem Saxonicam incli-
 tam; incolumemq; cum universa stirpe Sax. Generosissima, ac flo-
 rentem conservet diutissime; adversus Satanae rabiem efferatam,
 & vim omnem fraudulentiamq; hosticam: Inprimis autem Sciri-
 tu sapientia, roboris ac fortitudinis regat ac confirmet animum
 Serenissimi, potentissimiq; Principis ac Domini, Domini JO-
 ANNIS GEORGII, Ducis Saxonie atq; Electoris, Patris Pa-
 tria, ac praesidij, firmamentiq; sincerionis Ecclesiae Evangelicae,
 post DEUM atq; unicus Patroni hujus Academiae & Domini nostri
 clementissimi; ut in hisce gurgulentibus undiq; periculis & invals-
 centibus turbis fatilibus recta ac communibus rebus salutaria sint
 Celsitudinis illius Serenissima consilia, actiones ac conatus univer-
 si; quibus ante omnia gloria nominis divini sanctissimi propage-
 tur, conservetur & stabilietur pax publica; ac cû pace, rerû exopta-
 tissimâ, felicibus incrementis, secundû omnes suas partes, augeatur
 atq; amplificetur, hic & alibi, Christiana Respublica: Idq; faxit
 aeternus ac prae potens DEUS, pater misericordiarum, ob meri-
 tum unigeniti filij sui, Domini ac Mediatoris nostri; qui sedens ad
 dextram Majestatis, unâ cum Patre & S. Spiritu, vivit ac regnat
 super omnia gloriosè, Deus verus, seculis infinitis. Prop. Lipsiae
 die 26 M. Jan. anno Chr. M. DC. XXIII.

CORONA
 INDIGETALIS

ΔΩΔΕΚΑΤΟΔΟΣ,

Serenissæ Principi ac Dominae

D. DOROTHEÆ
 SIBYLLÆ
 DUCI SILES. LIGNIC. AC BREG.
 MARCHIONISSÆ ELECTORALI
 BRANDEBURGICÆ,

in frequente

Excelsiss. PRINCIPUM, Legatorum
 Electoralium, Illustrium Baronum, Generoso-
 rumque Magnificorum & Specta-
 tissimorum Virorum
 consessu,

POSTRID. NECYSIOR. ILLUSTR.
 in GLORIÆ & FAMÆ Templo
 honorificè sus-
 pensa

a

MELCH. LAVBANO, Ducalis
 BREGANI Rectore.

Ad Illustriss^a Celsitudinis
PRINCIPEM AC DOMINUM
D. JOANNEM CHRISTIANUM,
Ducem SILES. Lign. ac Bregensem,
Viduum pro tempore moestiss.
Musagetamque beni-
gnissimum,

EPIGR. DEDICATORIUM.

OFFERO Dux Tibi Celse recens audita LYCEI
De cathedrâ; objectant sint minus aqua rei.
DOROTHEAM ex facili laudavit idonea lingua:
Culpa mihi ingenii hanc sed negat atque dolor.
Eia age re pro ipsâ SIMPLEX hoc VELLE boni fac
Dux bone: sic lacrimis metam hilarem opto tuis.

CELSITⁱ T^e

addisissimus

M. LAUBANUS.

A³

Magnis



537353

Magnis & ad magna grassantib.
PRINCIPP. AC DOMINIS,

D. GEORGIO
D. LVDOVICO
D. RVDOLPHO
D. CHRISTIANO
FR. GERMAN.

DVCIBVS SILESIAE

Lignicensibus & Bregensibus.

IOAN. CHRIST. & DOROTH. SIBYL.
FILIIS SVPERSTITIB.

CVR pigeat vestrae GENITRICIS habentia famam
ELOQVIA, Illustris quae aure recente bibit
Concio, nunc etiam Bis. bina inscribere Vobis

Progenies, Matris gloria, vita Patris?

Vestrum opus est, quidquid MATRIS praeconia tractat;

Exemplo Pietas quam Tua GEORGE novo

Voce quoque ornavit calamoque, Sed haec etiam, haec fors

Talia ad omne queant Vos acuisse decus.

PROLES MAGNA TVENS MAGNORVM EXEMPLA
PARENTVM

ODERIT VMQVAM ALACRI MAGNA PATRA;
RE MANV?

M. L.

COR.

CORDATE CANDIDEQVE LECTOR,

ECCI tibi nunc in charta descriptam Oratiunculam,
E cui nuper audiendae perillustris celeberrimusque sum-
morum hominum confessus admodum propitiam dare o-
peram non gravabatur. Sed leges haec eam, ut primum na-
ta conceptaque est; non ut tum quidem Auditorio attem-
peranda, & unius quasi in sesquihorulae angustias ex tempo-
re contrahenda fuerat. Pleniora igitur jam apparebunt o-
mnia; & tamen valde vereor, ut iis, qui vel coram me audi-
verunt: vel cum tenuiculo hoc filo dictionis meae argumen-
ti praesentis indolem contendere volent, sint satisfactura.
Quo cathedram animo ascenderim; quosque inter pero-
randum motus in hoc pectore senserim: ipse mihi sat con-
fiscus adhuc sum: & videbar mihi his, quantum vis in lon-
gam caligantibus oculis animadvertere hunc & illum, qui
mecum nunc expallesceret; nunc suspiraret, nunc madidos
etiam oculos circumferret. Equis vero lectorum fuerit, qui
percurrendo has pagellas vel colorem mutare, vel suspirium
ducere, vel oculos ullam guttulam inquinare volet? Nimirum,
Tullio teste, *omnia perinde sunt, ut aguntur; & plurima Sera-
moni audito tribuit vox, vultus habitusque dicentis: quae
in Oratione eadem postmodum lecta & relecta nus-
quam comparent.* Quidquid sit, tamen obtemperan-
dum fuit Illustrissimo Magistratui, qui quae publice a me
dicta sunt, etiam publice legi voluit; etsi non ignorarem: vix
centesimam Orationum Auditorio mediocriter probatarum,
lectione publicam dignam videri solere. Vale mi LECTOR,
& Pietati me haec, non Eloquentiae litatum ivisse cogitato.

M. L.

MELCHIOR LAUBANUS, RECTOR DU-
CALIS BREGANI, PHILOMUSIS
OMNIBUS SAL.

PLURIMA sanè mortalitatis nostræ documenta vastissimo sintus
sui complexu volentibus-nolentibus ingerit ipsa rerum Natura.
Quid enim Somnus *blandus ille Mortis frater*, dum scilicet ei-
us operâ animi officium a corpore quasi disjungitur agit aliud: quàm
ut *fratri suo* quotidie præludat? Nonne Sol & reliqua sidera occasa
suo quotidiano & nos certâ die morituros denunciant? Tota adeo
mundi universitas, in quâ omnia nata interire cernimus, communem
quamdam mortem exercet. Scilicet æternum Numen signo pro-
posito maturè nobis inculcat, ut animum seriâ ad DEUM conversio-
ne & morum innocentia sanctè curemus, vasa & sarcinas colligamus;
Mortique singulis momentis in procinctu stanti obviam ire discamus.
Neque enim quotidiana hæc Naturæ præmonita non etiam quotidi-
anus confirmat eventus. Nulla abit dies, quin vel hominem audiamus
fuisse: vel funus coram efferri videamus. Nihil igitur præter opinio-
nem cuiusquam accidere potest: si mors tandem huic etiam & illi ma-
num injiciat; & id quod in aliorum exemplo toties est minata, faciat.

Sed si quàm pervulgatæ sunt exsequiæ & leti imagines frequentes:
tam verum quoque esset, excellentes & ad utilitatem publicam divini-
tus creatas animas, posteaquam ex captivitate terrenâ ad se positi limi-
nii jure reversas beatitudinis cælum suscepit; & noster orbis intolerabi-
bili cum desiderio acceptorum ab iisdem memor beneficiorum admi-
ratur, nulla amplius humano generi commoda & emolumenta præ-
stare posse aut solere: nihil planè attineret de magnis Virtutibus, quæ
post factam demum jacturam æstimantur, in publico verba a nobis fi-
eri. Sic enim dolor ex earum jacturâ perceptus immane quantum
augeretur potius, quàm minueretur.

At enim interest multum, si non ad famæ celebritatem beatè mor-
tuis augendam, quæ ad summum evecta vix ullorum incrementorum
capax est; saltem ad salutaria morum exempla aliis prodenda; ut quo-
ties magna aliqua virtus e terris migrat, eius commendatio & laudis
ornamenta minimè omittantur. Hinc prudentiores quivis populi, e-
tiam

tiam cœlestis veritatis luce destituti, præsertim Græci & Romani, solem-
nè mortuis parentandi morem semper frequentarunt. Tandem Romæ
publicâ XII. Tabb. lege cautum fuit: ut honoratorum virorum laudes
in concione memorentur, easque etiam cantu ad tibicinem Dominus
funeris prosequatur. In hunc usum lecti sunt strati mortuis: prælatæ
imagines: ludi funebres instituti: factæ exsequiæ & lessus: laudes de-
cantatæ: præsertim vero CORONA virtute parta imposta. *Nec*
Matronas quidem, postquam illæ collato in bellum Gallicum auro
Rempubl. singulari beneficio devinxere, supremo hoc humanitatis of-
ficio defraudari, Romanis Patribus placuit, addito & illis hoc honore,
ut earum sicut virorum *solemnis laudatio esset*. Hoc religiosum in-
stitutum non a profanis Gentilibus, sed sanctis DEI viris sine dubio
inventum, meritò ne nostra quidem ætas hodieque migrat. Inprimis
ut Heroum & Principum Manes, quo luculentiora ipsorum in Rem-
publ. & genus humanum exstant merita, eo splendidiore parentatione
decorentur: & gratitudinis debitæ interest: & summa postulat neces-
sitas.

Sicut enim *Illustrium Personarum* mortes calamitates fatales
portendere, & raro aliter quam publico exitio expiari consueverunt:
ita homines penetrantior quodam cauterio suorum peccatorum, quæ
suâ quodlibet seculum felicitate privare solent, publico parentandi ri-
tu commoneseri pernecessarium est.

Utinam verò, utinam nec nos scelerum atrocitate extremam DEI
patientiam tantopere lassissemus, ut ipsa patria nostra gravi concussio-
ne illius ipsius *Columnæ*, quâ communis salus cuiusque & publica u-
tilitas continetur, ruinam minetur; nisi clementia DEI piis preci-
bus exoranda illam sustinuit! Notius cheu est, quàm ut dicatur, quan-
ta cum *Illustrissimi & Celsi nostri Principis ac Domini JOHAN-*
NIS CHRISTIANI DUCIS SILESIE Lign. ac Breg. moestitie, quàm-
que acerbo cum luctu & quanto cum desiderio omnium, *Illustrissima*
ac Celsiss. Princeps ac Domina DOROTHEA SIBYLLA Ducissa nostra
naturæ debitum præmaturè ah nimis persolverit. Amisimus pro do-
lor! omni laudis censensu decoratam HEROINAM, cuius sincera in
DEUM pietas & fides, incredibilis erga *Ill. Striff. Conjugem* amor &

petrarum observantiæ studium, provida in *Subolem generosam* storge, pronissima in tenuiores benignitas, in omnes liberalitas, mascula in adversis tolerantia, rara in secundis & summâ fortunæ dignitate modestia, sanctissima per omnem vitam morum innocentia, & animosa in morte fortitudo, omnibus merito exemplo esse debet. Tantâ *Principi* exsequias cum singulos ire jus fasque jubeat; Pietas vero & gratitudo, quæ tot eius benemeritis debetur, flagitet, ne unquam memoria tantæ *CÆLITIS* ex animis deleatur: non sine piaculo certè & sceleratâ officii violatione *Laudationem Ipsi funebrem* jam denegaverimus.

Nos igitur, quod *DEVS* bene vortat, ad diem crastini, horâ *II X* antemeridianâ *CORONAM INDIGETALEM* ex Virtutum & Dotium Eius splendidissimarum *ROSIS XII* Oratorium in morem concinnatam, in *Fama & Gloria Templo* suspendere conabimur; inque eum finem vos omnes, quibuscumque beatæ *HEROINÆ* virtutes fuerunt dum vivebat, vel cordi, vel admirationi, hoc *Denicali Programme & Incentivo* honorificè obnoxieque rogatos volumus: ut ad constitutum *Ducali in Acroaterio* frequentes conveniatis, non quidem Oratoriz nostræ Cathedræ intuitu, quæ gloriam beatiss. *PRINCIPIS* omni laude maiorem nullâ tenus adæquabit, nedum amplificare poterit: sed partim ut *Illustribus hisse Exsequiis* pro more pristino debitus quidam *Colephon* imponatur: partim ut erga *Excelsissimum Ducatus nostri Caput*, Viduum nunc longè mœstissimum, etiam hac ratione unus quilibet fidem suam, cultum, atque Sympatheiam pro virili parte declaret.


P. P. XIV Maii, ipso die Exsequiarum
Illustrium A. C. 1625.

RETEXTUS CORONÆ.

T A B U L A I.

			{ <i>Effecto</i> , Luctu omn. Ordinum.
		{ <i>Rationes e Funeris istius</i> .	{ <i>Adjunctâ</i> Præcocitate.
	EXORDIUM, in <i>Threnodiâ</i> super funere <i>Sereniss. Principis. Threnodia</i>		{ Revocatio sive Correctio.
Partes Orationis sunt:	Differ- tatio Principis cuius Partes,	PROPOSITIO	{ Rejectione inanium querelarum.
			{ Partitione dicendorum.
		{ Generalis, in	{ Extenuatione modestâ suæ faciendæ.
		{ Specialis, in <i>Determinatione</i>	{ Ipsius <i>Argumenti principalis</i> , quod est, Prædicatio eximiarum Virtutum ac Dotium demortuæ <i>DUCISSÆ</i> .
			{ Tractationis, nempe per <i>Allegoriam perpetuam CORONÆ dodecaedrae & Rosis XII</i> plexæ.
		NARRATIO, in ipsâ <i>Σπερηλοκία</i> sive <i>CORONÆ Postumæ Texturâ</i> . Vide A.	
		PRINCIPES	{ <i>JOAN-CHRISTIANUM</i> Viduum, Consolatoria.
			{ <i>DOROTHEAM-SIBYLLAM</i> , Valdidictoria.
Epilogus in <i>Apostrophâ</i> , ad		DEUM	{ Conservatione familiæ Ducû Lign. & Br.
		{ Gratiarû. actoria, pro	{ Illustribus prærogativis demortuæ <i>DUCISSÆ</i> concessis in vitâ & morte.
		{ Precatoria, pro	{ Illustriss. Viduo & Orphanis. Ecclesiâ & nobis omnibus.
			B TABV.

TABULA II.



COR:

CORONA INDIGENTALIS.

HOC igitur restabat, in periculosis hisce atque o utinam extremis confusionibus rerum ac temporum: ut præmature fato Serenissima ac Florentissima nostra PRINCEPS ac Domina nobis quoque eriperetur? Quo lacrimabili casu heu mihi Excelsissimum Ducatus nostri CAPUT quam longè mastrissimam in viduitatem incidit! Juniores vero Quatuor Principes in primulâ hac suâ adolescentiâ, ipsaq; eheu Femelle Illustres, in limine quasi tenellæ pueritiæ, immo & infantia adhuc hærentes, quam præcipitem & miserabilem orbitatem experiri jam coguntur! Luget Sororem suam carissimam Illustrissimus Frater IOHANNES Marchio Brandenburgensis, præsentaneus spectator tam acerbi funeris. Tota domus eminentissima Ducum Silesia Lign. ac Bregensium, uti & omnes Cognatæ Familia, in moerorem & ægritudinem justissimam conjectæ sunt. Universa denique Aula Ducalis, & quotquot habet tota hæc Civitas, quin immo tota provincia, fidos ac Principum suorum amantes subditos, lamentis per hos dies querelis & lacrimis, quâ publicè, quâ privatim indulgere passim conspiciuntur.

Et sanè quis nostrum est, cui non alienissimo tempore facta videatur hæc Aula nostratis ruptura ac desolatio? Ætatem demortua Ducisse si computes: flos ipse credebatur; qui vix dimidium humanæ periodi vivendo attingeret. Si mutuam Conjugum concordiam & amorem, & fidem, & sinceritatem intrucare: dignissima vide-

2
 videri poterat hæc tam felix, tam in omnem partem beata
 copula: quæ aut numquam, aut non nisi in decrepitâ de-
 mum utriusque senectâ conjunctim dissolveretur. Jam nu-
 merosa ista, & huic Conjugio divinitus ex singulari quâ-
 dam benedictione concessâ *Suboles*, nihil magis hoc tem-
 pore desiderabat: quàm ut *Materna* fides, cura, sollici-
 tudo atque providentia primæ isti educationi diutius super-
 esset. At verò *civium & subditorum* promiscuè o-
 mnium non minor fuit hæc tenus erga beneficam hanc toti-
 us Reipublicæ Matrem adfectus atq; inclinatio: quàm
Phæacensium in *Odyssæâ* erga *Aréten Alcinoi Regis* mari-
 tam,

Odyss. libr
 7

οἱ μὲν γὰρ θεῶν ὡς εἰσορόωντες
 Δειδέχεται μύθοισιν, ὅτε εἰρήσ' ἀνὰ ἀσπίδι.]

qui ipsam Sancto pro Numine habentes
 Plausibus excepere propinqua per opida euntem.

Neque dubito plurimos in hodierno hoc confessu in-
 venire: qui si per fata id liceat, sequestri vicem se interpo-
 nere, & vel suâ morte huius *Heroïnæ* mortem redemptum
 & permutatum ire maluissent.

Sedenim certa est, ut nascendî, ita moriendî horula
 cuiq; mortalium divinitus dispensata: neq; fatorum arbi-
 tria nostris moventur sive querelis sive ratiunculis, utut in
 speciem nervosissimis: sed suas quasdam leges habent ada-
 mantinas, quas præcisè immutabiliterq; sequuntur; quæq;
 sæper iustæ sanctæq; sunt; quamvis sæpe nobis longè a-
 liter videatur. Etsi igitur dolore ac fletu amorem & reve-
 rentiam erga meritissimam Principem ostendi æquissimum
 facinus est: hæc tamen consideratio voluntatis divinæ la-
 crimis nostris metam terminosq; decentes præscribere de-
 bet: ne longius, quàm par est, procedant; & infidelitatis
 atq; impatientiæ parum Christianæ indicia de se præbeant.

Nam

3.
 Nam & ipsius *Demortuæ* talis jam conditio est: ut nihil
 minus velit, quàm ex voto desiderioq; nostro vitam ampli-
 us inter nos ærumnabilem degere.

Et quandoquidem hesternâ die, *Necy siis* sive *Exsequi-*
is funeralibus peculiariter destinatâ,

Tibull.

Condidimus lacrimis perfusa fidelibus ossa;
 corpusque *DUCISSÆ* exanimum lugubribus ceremoniis
 ex *Aulâ Illustri* publicè deportavimus in *cellam mortu-*
alem, subterraneum suum *Dormitorium* scilicet, cum cer-
 tissimâ spe futuræ suo tempore resurrectionis ad vitam &
 gloriam sempiternam: nihil hodie opinor restabit ampli-
 us, nisi ut extremus quidam *Colophon* tristi huic sollempni-
 tati de more funerum *Illustrium*, in *Ducali* hoc *Acroate-*
rio, *Religiosæ Pietati* castisq; *Musis & Gratiis* bonâ fide
 operato, imponatur.

Atenim facessant heic nova lamenta: facessant fru-
 stra repetitæ querelæ. Vetus illud cogitemus: & πῆξις
 δακρύων: Nil agitur lacrimis.

Quòd si *Slesiaco largius Oderâ*
Florantes lacrimarum undam oculi eggerant:
 Non pigris redeat *Spiritus artibus;*

Ex *Odâ 26.*
 lib. 1.
Hor. Pa-
rod.

Quem *scalâ* semel *entheâ*
 Non *segnis Superum jussa capessere*
Cælestium intulerit Dux Gabriel choris.

Id potius præsentî horulæ conveniet; id maximè huic
 confessui erit accommodum: si memoriam *Defunctæ*
 prædicatione virtutum eius eximiarum inter nos recola-
 mus; & consolantia verba dicamus *PRINCIPI Viduo*
 ac derelicto: proq; *Ejus*, uti & *Juniorum Principum* vi-
 tâ, valetudine, incolumitate & totâ gubernatione arden-
 tia & religiosa vota ad *DEUM* mittamus.

Heic vero optarim ego alii alicui, qui ingenio & do-

B 3

ctrina.

etrina & facundia tantâ sit, quæ par esse videatur argumen-
 to præsentî; quæq; expectationi tam nobilis Auditorii
 possit satisfacere, hodiernas ex hoc loco dicendi partes de-
 mandatas fuisse. Nam de me: numquam eam mihi di-
 cendi facultatem inesse arbitratus sum: quæ tam augustâ
 confessûs & frequentia, qualis hodierna est, audientiam
 absq; insigni trepidatione experiri & periclitari umquam
 ausa fuerit. Nunc certè curis & morbis meis familia-
 ribus in ultimo hoc senii flexu ita exhaustus & debilitatus
 sum: ut vix sperem me aliquid dignum auribus & silentio
 tot tantorumque virorum in medium esse allaturum. Quid
 tamen? non minus jam mihi obtemperandum esse video
 Superiorum imperiis: atque ante hos XXIII annos haut
 gravatè obtemperavi: quando hoc ipso mense Maio in
Illustri Gymnasio Aurimontano Oratione Parentali fu-
 nebria iusta persoluta a me sunt benedictæ memoriæ Prin-
 cipi IOACHIMO - FRIDERICO, vestro sc. IO-
 ANNES - CHRISTIANE & GEORGE - RU-
 DOLPHE Principes & Domini Clementissimi lau-
 datissimo Parenti.

Agite igitur, o Excelsissimi Principes: agite Serenis-
 simorum & Illustriss. Imperii Electorum ac Principum
 Legati exoptatissimi: age o inclite Dn. BURGGRAVI,
 Cameræ Silesiacæ Præsès magnanime: agite ceteri Illu-
 stres Dn. Barones, Magnifici Consiliiarii, Nobilissimi E-
 quites, omniumque reliquorum Ordd. quotquot adestis,
 Spectatissimi Hospites & Auditores, date mihi quæso pau-
 lisper ædes vacivas vestrarum aurium: finiteque Oratio
 hæc mea quotidiana & simplex, qualem *Ver-tatis esse*
propriam iudicavit Euripides, per verissimas laudes & de-
 cora DUCISSÆ nostræ, nullius vel Nestoris aut Periclis
 eloquentiâ satis umquam laudandæ, vobis benignè audien-
 tibus dispacietur. Etenim sic existimo, (etsi meæ vere-

Eurip.
Phœnissis.

cundia

cundia non est, de personis Illustribus iudicia ferre præci-
 pitata) sed tamen sic ego statuo; nullusq; dubito, vos om-
 nes me habiturum sententiæ meæ suffragatores volentissi-
 mos: talem nempe nos hesternâ die extulisse *Heroïnam*;
 in quâ tot decora & ornamenta virtutum & dotium eximi-
 arum, a primâ quasi-nativitate per omnem vitam ad fata-
 lem usque horulam resplenderunt: ut si pares fortasse re-
 liquit sui ordinis pauculos aloquot Feminas: superiorem
 certè universa nobis vix repræsentatura sit Germania.

Unde verò egrediar? aut quâ viâ progrediar in cam-
 po hoc laudum longissimè latissimèq; patente? Vcrna sci-
 licet hæc amenitas, quo tempore omnes non tantum hor-
 tos, sed & prata promiscuè omnia variis floribus luxuriare
 videmus, occasionem nobis suppeditat: ut præcipuas HE-
 ROINÆ nostræ piè defunctæ dotes atque virtutes sic intu-
 eantur; quasi flores seu Rosa essent longè spectatissimæ
 fragrantissimæque. At quid Parentationi Funebri, inquis,
 cum floribus aut Rosis? Multum certè, multum. Nam
 & ἀνθέων ῥοδαί florum sparsiones in pompis olim fune-
 bribus Illustrium Personarum erant usitatissimæ; & ipsis
 etiam Mortuorum capitibus Corona, ἔρωτες Græcis nun-
 cupata, imponebantur; tamquam in symbolum ἀοχλήτης
 ἀμεριμνίας, non amplius interpellanda, & ab omnibus
 turbis remota quietis, ut scitè ritum hunc explicat Cle-
 mens Alexandrinus Stromatum l. 2. c. 8. Quin imitò
 & sepulcrâ ipsa Coronis olim exornata fuisse gravissimi
 Auctores hodieque testantur; quæ Coronæ etli ex flori-
 bus omnigenis contèxi potuerint: principatum tamen
 quemdam sola Rosa tenuerunt, usque adeo etiam: ut
 Romanorum non pauci testamento heredibus præcipere
 non dubitaverint: UT QUOTANNIS ROSAS AD MO-
 NUMENTA IPSORVM DEFERRENT.

Etymologi-
cum Magn.

Joh. Meurs.
de Funere
c. 4. §
J. Kirchn.
de Fun. R.
l. 1. c. 11.

I. Kirchn.
de F. R. l. 4.
c. 3.

Non

6.

Non planè dissimiliter & nos hac horulâ præfente, ex XII ROSIS longè pulcerrimis, quas partim Serenissimi *Natales*, partim *Vita & Mors DUCISSÆ* gloriosissimâ ratione peracta nobis suppeditabunt, benignâ scilicet adminiculatione *Musarum, & Gratiarum*, quæ & ipsæ *duodenarium* constituent, CORONAM texemus POSTVMAM & HONORARIAM; eamque non in Sepulchro hesterno deponemus: sed in *Fama* potius & *Gloria* templo honorificè suspendemus, nullum in finem ali-

Iacobi 1.17.

um: nisi ut hinc summi IEHOVÆ, *Patris illius luminum*, qui illustrium & heroicarum virtutum atq; insignium unicus auctor datorq; est, gloriæ à nobis inserviat: illinc testimonium aliquod existet nostræ erga *Dominam* præclarissimè meritam pietatis, debitæq; gratitudinis: tandem verò ut ad omnem venturi ævi memoriam CORONA hæc *plectilis pensilisque*

Florescat, vireat, placeat, dispergat odorem.

Quod igitur DEVS bene vertat, *viridarium* ingressissimus ROSIS longè pulcerrimis suavissimisque undique constitum; quæ quidem omnes hoc inter se commune habent: ut cum unaquæque singularem quamdam DUCISSÆ nostræ felicitatem eminens ostendet, singulæ etiam singulare quoddam ET Græcis litteris, iisq; aureis & sesquipedalibus sibi præscriptum habeant.

Atq; ecce ex omni ROSARVM numero prima quasi ultro se nobis offert EYENEIA; quam Latini *Natalium Prærogativam & Celsitatem* appellant. Merito *Natalium Celsitudo* primas hodie damus huic flosculo. Etenim *Ducissam* nostram a primo conceptionis & nativitatis momento usque adeo nobilitavit: ut summo eam inter mortales loco collocaverit. Neq; enim audiendos arbitror morosos illos *Natalium Censores*; qui cum *Vlyffe Ovidiano*

Et

7.

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi Vix ea nostra putant.

Metamor-

phos. 13.

Laudatio-

ne Helena.

Quanto modestior *Isocrates*, qui inter fortuna bona *liberis relinqui posse statuit*; quàm generis nobilitatem; quippe, cum cetera fortuna commoda celeriter aut intereant, aut ad alios transeant, *solum nobilitatem semper apud liberos permanere*. Quò illustriores tibi natales obtigerunt: hoc generosior, hoc ad omnem virtutem proclivior excitatorq; est indoles; quæ virtus congenita si cum ætate (o quàm sæpe hoc fieri videmus!) sese non exserat: soli educationi sinistra id imputandum est; quæ quod natura largiter donaverat, non rarò malignius solet intervertere.

Edita autem in mortalitatis hoc ergastulum *Serenissima* nostra est A.C. supra sesquimillesimum nonagesimo, XIV Kal. Novembris, ex Parentibus non modo excessissimo stemmate, verùm etiam eximiâ in DEUM Pietate & virtutis gloriâ spectatissimis. *Patrem*, habuit IOANNEM-GEORGIVM *Marchionem Brandenburg. Sacri Rom. Imperij Archicamerarium & Septemvirum Electorem*; Principem totos septem & viginti annos, quibus ab obitu Patris IOACHIMI Electoris, & Patruum IOANNIS Principis sapientissimi. ipse solus rebus communibus præfuit, de universâ non tantum *Marchiâ*, sed & *Imperio Germaniæ* præclarissimè meritum. *Mater* ei fuit ELISABETHA IOACHIMI-ERNESTI Principis *Anhaltini, Comitumque Ascaniæ* Herois laudatissimi filia.

Hic nemo vestrum, opinor, expectabit; dum ego utriusq; huius domus *Brandenburgicæ & Anhaltinæ*, sive incanam antiquitatem, sive excellentissimam nobilitatem vel verbulo delibem. Maius quoddam argumentum hoc est: quàm ut vel a meâ tenuitate præfari, vel unius horu-

C

lx.

la brevissimo ambitu circumscribi possit. Et quis nescit a vetustissimis Comitibus *Zolleranis*, quorum familiam *Petrus Columna* Patricius Romanus antiquissimam maiorum nobilitate a *Guelphis* aut *Camillis* descendendum clarissimus in *Sueviâ* Germaniæ provinciâ, sub *Henrico IV Imperatore* primus olim condidit, per tot sæculorum decursus hodiernam *Electoraletn domum Brandenburgicam* indireptâ serie descendere? Quemadmodum enim *FRIDERICVS ZOLLERANVS*, qui temporibus *Rudolphi Habsburgici Burgraviatum Noribergensem* hereditario jure posteris suis acquisivit, *Abnepotem* habuit *FRIDERICVM I* Marchionem Brandenburgensem, in *Synodo Constantiensi a Sigismundo Imperatore & Cidari Electorali & totius Marchiæ principatu*, in virtutis ac fidei hostimentum gloriosissimè decoratum: ita hic ipse *FRIDERICVS*, primus *Marchio & Elector* Brandenburgicus, genuinus *Atavus* existit isti ipsi *IOANNI-GEORGIO DOROTHEÆ-SIBYLLÆ* Parenti; ad quem etiam hæc ipsa Electoralis dignitas continuâ serie quatuor præclarissimorum Maiorum, a *FRIDERICO I* descendendum, tandem provoluta est.

De *ALBERTO* quidem *Abavo*, III Electore Brandenburgico, verissimè hoc dici possit: eum sc. novâ jam dudum & peculiari quâdam *Iliade* atque *Odyssæâ* inter nos Germanos decantatissimum fuisse: modo *Homerum* Germania novum & peculiarem habere potuisset. Ut enim heroica bellicositas, *ACHILLIS Germanici*, ita prudentia facundiaque excellens, *ULLYSSIS Germanici* cognomentum *ALBERTO* huic promeruit; non quidem promiscuis tantum illiteratæ plebeculæ voculis: sed ipse us Summi Pontificis, quod *Aeneas Silvius* allegat, gravissimo sanctissimoque illis temporibus iudicio. IO-

ANNES

ANNES verò IV Elector, IOANNIS-GEORGII *Proavus*, ab aspectabili staturâ & auctoritate, quâ cunctis suo tempore per Germaniam Principibus antecelluit, non tantum *MAGNVS*: sed a dicendi etiam facultate & copiâ *Germanicus* *CICERO* appellari consuevit. Quid *IOACHIMVS I*, Elector V, *IOANNIS-GEORGII* nostri *Avus*? Nempe is raram suam eloquentiam, rarissimâ cum sapientiâ conjunctam, non tantum vivus olim toti Romano Imperio, ejusque *Capiti in Comitibus* potissimum *Augustani* luculenter probavit: sed mortuus etiam in hunc usque diem nobis omnibus satis luculenter easdem virtutes probat; qui *Academie Francofurtanæ* foundationem huic ipsi *Principi* gratâ mente acceptam esse ferendam non ignoramus. Huius porro *Filius* *IOACHIMVS II*, *sextus Elector Brandenburgicus*, & *Templa Scholasque* suarum ditionum primus a fermento doctrinæ Papanæ repurgavit: & *IOANNI-FRIDERICO* Saxonie Electori, infelici prælio ad *silvam Lochanam* capto, tempestivâ suâ ad victorem *CAROLVM* intercessione vitam conservavit. Hoc, hoc Patre dignissimum se semper *Filium* demonstravit *IOANNES-GEORGIVS*, *septimus* ex hoc stemmate Elector Brandenburgicus, cuius *Filiam* hodie prædicamus *DOROTHEAM-SYBILLAM*.

Jam verò gentis *ANHALDINÆ* gloriam, prope modum huic mundo coævam, quis mei similibus fando explicare præsumat? Primam certè eius originem Historiæ, magnis argumentis persuasæ, ab ipso *Patriarchâ Noâ*, cuius scilicet pronepos fuit *ASCANES*, conditor populorum ad *Ascaniam paludem* in *Asiâ* primitus habitantium, accessere non dubitant. Hos populos certum est, longè ante *CHRISTI* incarnationem, ex solo isto natali *Septentrionem* versus demigrasse, & in *Germaniâ* nostrâ

C 2

ad

ad *nemus Harcynium* confedisse; ubi incolæ in hunc usque diem vetus *Ascaniorum nomen* miraculosissimo exemplo nobis ostentant. Et ut maximè obsoleta illa, & a primis mundi quasi incurabulis repetita sileantur: constant tamen hodiernis *Principibus ANHALDINIS* continuæ suæ successiones inde a BERNWALDO, *Harcynia Ascania & Ballenstadii Regulo* per mille centumque amplius annos. Quid, quod hoc ipsum *Stemma ANHALDINVM* auspiciis *Friderici Barbarussæ Imp.* ad geminam *Electoralement* dignitatem, hinc quidem Marchionum Brandeburgensium in *Alberto Urso Comite Ascania*, illinc vero Ducum & Electorum Saxoniz in *Bernhardo Alberti Ursi filio* gloriosissimis incrementis adsurrexit, inque illo duplici *Septemvirali* fastigio non uno tantum sæculo feliciter perseveravit. Electoratum enim Brandeburgensem tenuit per annos CLXX, usque ad mortem *Ioannis IV*; qui XIII Elector lineæ Anhaltinæ mortuus est A. C. c15 CCCXXII. Sed Electoria dignitas Saxonica totos CCXL annos in hac ipsâ familiâ permansit, usque ad *Albertum III*, octavam Anhaltinæ gentis Electorem, qui decessit A. C. c15 CDXXII. Sed, ut dixi longè alterius hæc omnia sunt & curæ & cathedræ.

Illud unicum sileri a me nullo interim pacto debet: IOANNI-GEORGIO Electori, nostræ Principis laudatissimo Parenti, singularem istam a DEO benedictionem indultam fuisse: ut *Brandenburgicam* hanc *domum*, in suâ solius quasi personâ aut diutius perennaturam, aut paulo post intermorituram, admodum numerosâ propagine amplificaret, in spem scilicet certissimam duraturæ ad finem usque mundi posteritatis. Etenim cum in primo suo conjugio, quod vix annum DEUS esse voluit, ex SOPHIA *Lignicensi & Bregenfi*, Illustrissimi nostri Prin-

cipis

41.
cipis *Prosmida*, unicum tantum Filium IOACHIMVM-FRIDERICHVM, suum deinceps in Electorali axiomate successorem, suscepisset: in secundo per annos septem & viginti ex *Sabinâ* Gentili suâ octo *Filias & tres Filios*, quamquam non ultra infantilem ætatem superstites, progeneravit. At vero repetitis tertiâ vice nuptiis cum ELISABETHA, quam dixi, IOACHIMI-ERNESTI Principis Anhaltini, non tantum Cellissimæ stirpis, sed & rarissimæ indolis atque virtutis Filiâ, parem iterum sensit ultra annos Conjugii viginti benedictionem cœlestem, quoad liberorum numerum, qui rursus fuit *undenarius*: sed longè ampliorem, siue sexum prolis spectemus, siue vivacitatem. Filias nempe sustulit *quatuor*, MAGDALENAM, AGNETEN, ELISABETHAM - SOPHIAM, & nostram Dominam DOROTHEAM - SIBYLLAM, nobis hoc tempore longè maximi luctûs materiem & argumentum. At Filios habuit *septem*, omnes tam heroicâ indole, qui avitam Maiorum gloriam novis laudum infulis propriâ virtute partis, si non exsuperare, at æquiparare tamen omnibus modis huc usque contenderunt, & adhuc contendunt. Adest jam corâ præsens ex illo numero *Illustrissimus Marchio* IOANNES, qui *Sorori* dilectissimæ *Illustrissimus Marchio* CHRISTIANVM natu maximus, IOACHIMVS sc. ERNESTVS hanc *Sororem* suam vix tredecim dierum spacio, per improvisum quidem sed beatum obitum, *Onolsbachii* in Franconiâ, ex Aulâ di-

C 3

tionis

tionis suæ terrenâ in Aulam cœlestem prægressus fuisse nunciatur.

II. ROSA.
ΡΥΣΕΒΕΙΑ
Pietas.

Nobilis sanè ROSA est *Ἐυσέβεια*, quæ ut *Domina* nostræ a primo nativitatæ articulo plurimum splendoris dignitatisque attulit: ita jure merito primam CORONÆ *Nostræ Postumæ* insertam facere debuit. Age verò decerpamus, eidemque CORONÆ intexamus ROSAM longè nobiliorem, longèque odoratorem. Scilicet *Ἐυσέβεια* hæc est, id est, *Religiosa Pietas*, aut *Pia Religio*. Hæc hæc ROSA Nobilitati generis tantum præstat: quantum æterna caducis quantum cœlestia terrenis, quantum a DEO per specialem gratiam donata iis bonis omnibus antecellunt: quæ natura melior & excellentior hominum generi communicare umquam novit. Et hæc quidem virtute, quæ Regina Caputque est ceterarum omnium, divinitus excellenter decoratam fuisse demortuam nostram DUCISSAM, nemo, qui & ipse pius audire volet, umquam ibit inficias.

Nam cum in Ecclesiâ Filii DEI nata esset: jam tum in *Baptismo*, ubi S. S. *Trinitas* federis & adoptionis gratiam visibili certissimoque pignore ipsi obsignavit, illa totam se vice versa DEO *Creatori, Redemptori & Sanctificatori* suo consecravit. Nec mora, a primâ statim pueritiâ *Catechesin Christiana fidei* accuratâ diligentia perdidicit; inque hac Scholâ Pietatis tantum a generis profecit unguiculis: ut & seipsam rectè nosse cœperit: & veram Ecclesiæ doctrinam in Lege & Evangelio patefactam, tum de DEI *unicâ essentiâ tribusque* in eadem distinctissimis *Personis*, tum de DEI voluntate non vulgariter cognitam haberet. Hinc *Fides* illa *Salvifica* magis magisque radicata est in pectore *Eius*; cumque se in peccatis non tantum conceptam & natam, sed etiam ob peccata iræ ac maledictioni æternæ devoram ex Decalogo didicisset: ad DEI Patris infi-

nitam

nitam illam gratiam & CHRISTI *Θεανθρωπης* satisfactionem atque efficacissimum *λύτρον* omne suum habuit per fugium.

Hanc Fidem deinceps progressu ætatis & iudicii tum attentâ auscultatione Verbi divini, in Ecclesiæ Ministerio sonantis, tum quotidianâ & indefessâ lectione Scripturæ Biblicæ magis magisque constabilivit. Sed & eandem frequentissimo ac pio usu *Cænæ Dominicæ* per omnem vitam religiosè sustentare, & contra quasvis diaboli, mundi, carnisque insidias pro re natâ corroborare studio semper habuit.

Inprimis proveciore hac ætate, ex quo in thalamum & consortium nostri PRINCIPIS ivit, sanè in *Domina* nostræ cubiculo & pectore *habitavit verbum CHRISTI copiosè cum omni sapientiâ*; nec fuit rarus aut ignotus hospes in Gynæceo Codex Sacræ Scripturæ: sed quotidianus quasi & familiaris convictor; quamquam aliàs in Aulis nihil usitatius esse scimus: quàm ut inter virgines feminasque illustres non tam Sacrosancta Biblia, quàm alia nonnulla, mundanam lasciviam redolentia commenta, a mane ad noctem usque concubiam regnare soleant.

Neque verò in nostrâ PRINCIPIS studium istud indefessum Legis divinæ luculento quodam & multiplici fructu caruisse putandum est. Luxit in pectore eius rara & immota *Fiducia*, in rebus tam ad hanc præsentem, quàm futuram vitam pertinentibus soli DEO absque omni hesitatione sese permittens. Hanc comitabatur bona *Spes* in futurum, tam de complemento salutis incoatæ, quàm de mitigatione crucis & ærumnarum huius vitæ, deque finali liberatione ab omni malo per beatam *ἀνάλυσιν*. Interim DEUM unicè *amabat*: DEO constanter adherescebat: in DEO se dies noctesque oblectabat, contemptis & pro nihilo habitis omnibus huius mundi opibus, deliciis

Coloss. 3. 18.

14.
licis & fugacibus gaudiis. Ad huius obsequium se totam componere satagebat; nihil tanto studio præcavere laborans: quàm ne hunc Patrem benignissimum peccatis conscientiam quoquo modo vulnerantibus, offenderet. Ad quam sollicitudinem non tam *servili* aliquo pœnarum metu, quàm castissimo illo in DEVM amore impellebatur. Quid? quòd & in rebus secundis sub potenti manu DEI sese humiliare noverat. Nihil sibi suisve promeritis, omnia animi, corporis, fortunæ bona soli divinæ bonitati accepta referebat. In primis ad ferendam crucem, quæ a primâ quasi pueritiâ nunquam non variè ipsam exercuit, æquissimo animo se præparabat. Hæ sanctissimæ virtutes cum *Spiritus Sancti* adflatu regnarent in corde *Ipsius*: nihil

Rom. 12. 1.

Hof. 14. 2.

Ioan. 4. 21.

23.

III. ROSA

ΕΤΠΡΕ-

ΠΕΙΑ.

Decor Vir-

ginalis.

magis pensi habebat: quàm ut *rationalem illum cultum* quotidie DEO quàm devotissimè præstaret; *vitulosque labiorum* in *Spiritu & veritate* ipsi indefinenter immolaret. Cum *precibus* mane surgebat: cum *precibus* somnum vesperi repetebat: *preces, vota, Hymni & Cantica Spiritualia quotidiana erant* & individua omnium operarum diurnarum *Σελκτήρια* atque condimenta.

Iusto ferè diutius nos detinuit *Ευσέβεια* sive Religio PRINCIPIS: tempus est, ut tertiæ ROSÆ, quam *Cerolla* sibi jure vendicat, non tam manum, quàm linguam admoveamus. Est vero illa *Ευπρέπεια*, quæ vobis, Auditores, monstrabit: qualem se gesserit nostra HEROINA erga se ipsam & alios in statu potissimum innupto & virginali. Si igitur *Decorum Virginalis* appellare voles *Ευπρέπεια*: non aberrabis. Sanè cum primum infantix annos egressa esset, ad omne *Decoru Virginalis* genus quàm studiosissimè præculca est ab ipsamet *Dominâ Matre*, sapiente & insigniter moratâ Feminâ. Jam tum didicit linguæ, gestuum, cultus & omnium suarum actionum tener

modum

15.
modum. Etsi vero post annum ætatis septimum, quando sc. nostra hæc PRINCEPS a carissima Matre *Crosnam* ditionem suam dotalem occupante, ad annos aliquam multos divulsa est, melior hæc & accuratior disciplina haur parum mutationis habuit: *Decoro tamè Virginali* ne sic quidem vel hilum decessit. Scilicet in DOROTHEA - SIBYLLA generosissimæ indolis Puellâ ratum verumque existit *Ciceronis* illud: *Sapius ad laudem atque Pro Archid.* *virtutē plus sine doctrinâ valere naturâ: quàm sine naturâ doctrinâ.* Illa igitur quotidie per se & suâ sponte operam dare: non tantum ut pudicitia atque modestia, quam *δωγμα καλλιων θεων* vocat *Chorus* in *Euripidis Medea*; *donum De-* ex omni sermone, gestu motuque & habitu corporis elu- *orum pul-* ceret: sed ut cuique etiam, quod suum est, convenienter *cerrimum.* tribueret; *superioribus* honorem, cultum, obsequium: *æqualibus* amorem, fidem: *inferioribus* clementiam & benignitatem. Quibus in virtutibus haur mediocriter deinceps confirmata fuit: quando Materno tandem contubernio & quotidianæ consuetudini feliciter restituta est. Tum etiam, quâ fuit ingenii capacitate, communes cum *Fratrib. Marchionibus, FRIDERICO & GEORGIO-* ALBERTO Scholas quotidie frequentans, in *Lingua Latinâ* tales progressus fecit: ut plurima quæ Latinè dicerentur accuratè distinctèque posset intelligere. Reliquum temporis non frivolis Aularum deliciis, quæ suis plerumque sectatoribus sunt exitio, non ignavo otio, quod Satana pulvinar est, transmittebat: sed honestissimis potius Minervæ laboribus, sexum & conditionem suam illustrem apprimè decentibus; nunc quidem linteamina Babylonix acûs ministerio quàm venustissimè picturando: nunc telas doctiore pectine percurrendo: nunc reticulato opere Aulæ, Cunopeia, aliaque id genus Peripetasmata, ad

D

uti-

16.

utilitatem & ornatum Conclavium Illustrium artificiosa manu concinnando.

Quid mirum, tam raras excellentesque in *Virgine Illustri* dotes, tam arrectam ad omnes honestates indolem omnium bonorum animos in sui favorem juxta & admirationem jam tum coavertisse? Scilicet verissimum est quod *Euripides* in *Hippolyto* exclamat:

Φεῦ Φεῦ τό σᾶφρον ὡς ἀπανταχῆ καλόν,
καὶ δόξαν ἐσθλῶ ἐν ἑστέοις κομίζεσται.

*Papa! quàm ubi vis pulcra res Modestia est,
Raram inter homines obtinens laudem et decus!*

c. 32. 17.

Et DEVS singulariter huic HEROINÆ ratum esse voluit *Syracidum* illud: *Qui mane incubuerint disciplina: adipiscuntur benevolentiam.*

Ac ne longius abeamus, ecce inter alios etiam benevolentia *Consobrini Principis* divinitus ipsi adolescentioribus statim annis in promptu fuit. Nostri inquam Principis IOANNIS-CHRISTIANI. Hic quatuordecim, ni fallor, annorum adolescens, cum post mortem *Patris* JOACHIMI-FRIDERICHI, gloriosæ Principis memoria apud *Materteram Crofna* in consortio *Juniorum Marchionum* eruditæ doctrinæ studiis vacaret: & virtutem DOROTHEÆ-SIBYLLÆ Principis consanguineæ agnovit: & in Celsissimo suo pectore castissimum eius amorem tamdiu constanter & sincerè custodivit: donec post absolutas peregrinationes, doctrinæ ac virtutis causâ heroicè susceptas, ipse suam tandem tutelam ingressus, rerumque ac ditionum suarum gubernacula potitus, præ omnibus aliis hanc sui sanguinis *Puellam*, perpetuam tori, vitæ ac fortunarum sociam sibi accopularet.

Nuptias sollempniore pompâ celebratas meminimus in *Aulâ Electorali Brandeburgicâ*, A. C. supra sesquimille-

17.

millesimum centesimo decimo, Prid. Eid. Decembr. cum jam triennio ante *Vidua Electoralis* ELISABETHA *Mater Sponsa* fatis concessisset.

De *Conjugio* interim hoc novo non possum, quin pro tempore pauca commemorem. Fuit enim ad eam hactenus faciem: ut non tantum *Quartam* nobis ROSAM, quam *Ευζυγίαν* Græci vocare solent, commodare queat, ad CORONAM nostram *Honorariam* speciosius incingendam: sed etiam omni, si qua futura est, posteritati illustre specimen præbiturum sit copulæ longè felicissimæ, & in omnem partem benedictæ. Memorabilis est Exclamatio veteris *Gnomologi*:

τί γδ ἡδύτερον καὶ ἀμείνον
ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνή φρονέη φίλα γήραος ἀχρη,
καὶ πόσις ἢ ἀλόχω, μὴδ' ἐμπέσῃ ἀνδρὶ χα νεῖν.

Phocylides.

*Quid suavius est meliusque,
Quàm si uxor virum amet senii usque ad debilis horam,
Virque retro uxorem, procul irâ & litibus aspris?*

Quid vobis animi est, *Auditores*; quid cogitatis? Neminem scio heic sedere, neminem adstare: quin tacitus jam secum cogitet: tale omnino Conjugium fuisse nostrorum Principum. Nihil heic desiderari potest, nihil deest: nisi unicum cheu istud: quod non duravit hæc felicissima conjunctio,

Senii usque ad debilis horam.

De PRINCIPIS nostri in suam DOROTHEAM-SIBYLLAM candidissimo adfectu, cum vobis omnibus notissima res sit, consultò jam silebimus. Sed ad laudem immortalæ *Demortue Marite* hoc silendum nullo modo est: illam sicut in ipsâ virginitate *Spei optime rudimentum* de se dederat: ita in *Conjugio rei presentis*

D 2

ex-

IV. ROSA.
ΕΥΖΥΓΙΑ
Felicitas
Conjugij.

experimentum prolixissimè præbuisse PRINCIPI *Marito, & Gynæceo, & Aula, & civibus subditisque* in universum omnibus. Scilicet examussim per hos quatuordecim, & quod excurrit, annos implevit mensurâ nominis sui: demonstravit se reverâ hæcenus DOROTHEAM-SIBYLLAM, id est, *Principem non divinis tantum dotibus abunde cumulatam, sed & divinâ sapientiâ & benedictione præditam, in donis a DEO largiter acceptis, ad DEI solius gloriam, ad dulcissimi Mariti gratiam & obsequium, ad subditorum denique utilitatem decenter dispensandis.* Habeat sibi suam *Homerus Penelopen*: habeant Ethnicorum historiarum suas *Artemisias, suas Hypsiratæas, suas Lacenas*, Minyarum famosissimas illas uxores, aut quas-cunque harum similes. Laudetur *Torcia Catonis M. Bruti* fidissima conjunx, quæ experimento vulneris sponte sibi inflicti demonstrare *Bruto* non dubitavit: se & mori eum Marito, & pro Marito esse quam paratissimam. Prædicetur *Arria Romana* sive magnanimitas, sive in *Pæstum* rarissima fides. Nihil sunt omnes illæ ad nostram hanc; quam longè rectius *Sara* nos componemus; cui hoc elogium tribuit *Apostolus*: quod *obediveris Abrahamo, dominumque eum vocavit*. Numquam se aliam exhibuit etiam nostra DUCISSA carissimo suo *Principi JOANNI-CHRISTIANO*: hunc solum adamavit: hunc pro summo suo in terris bono habuit: in hoc solo acquievit: huic grata dicere, huic grata facere anxissimè studuit: hunc curis Reipublicæ lassum suavissimis nunc alloquitur, nunc moribus, nunc officiis recreavit: hunc interdum cogitavit: hunc noctu somniavit: de hoc libentissimè loqui, omnia sua huic gratificari & impendere, nulla pro salute huius pericula, nullas molestias, nullas difficultates unquam detrectare visa est.

Val. Max.
l. 7. c. 6.

Tacit. An-
nal. 1. 16.

Martial.
l. 1.

1. *Petr.* 3. 6.

Syra-

Syracides bonam feminam per similia rerum longè pulcherrimarum operosè commendat his verbis; *Ut Sol c. 26. 17. oriens in supremo caelo: sic pulchritudo bonæ mulieris in ornatu domus eius. Ut lucerna splendens in sancto candelabro: sic pulchritudo formæ in ætate constante. Ut columna aurea super basi argenteâ: sic mulier corde stabili.* Obtestor vos, quotquot adestis: nonne DOROTHEAM-SIBYLLAM *Principis* nostri in hoc Encomio agnoscitis? nonne vivam eius effigiem videtis? Ita est, videtis, agnoscitis; & hoc nutu ipso tacitâque oculorum significatione subindicatis. Quippe pictura est verissimarum PRINCIPIS nostræ virtutum, non lapsa aut opaca, sed maximè exstans, & omnibus colorum pigmentis differentiisque saturata.

Ecce vero nobis & *Quintam ROSAM* ex tam amabili Conjugio efflorescentem! Nimirum benignissimus DEVS, cuius possessio sunt filii; cuiusque merces est fructus ventris, hanc raram *Εὐζωϊαν* rarissimâ quoque *Εὐτεκνίαν* obsignatam voluit. Prolixa fuit fecunditas *ELISABETHÆ Anbaldine* Matris nostræ Principis: sed longè prolixior, longè auspiciatior *Filia* eius DOROTHEÆ-SIBYLLÆ. Peperit quidem & hæc undecies tantum, sed sive pariendi periodos, sive numerum spectemus liberorum, *Filia Matri* fecunditatis laureolâ nemine hominum contradicente præreptum ivit. Mater undecies peperit intra periodum XX annorum: sed *Filia* toties intra annos tantum quatuordecim. Illa uno partu non nisi *unicam prolem*: hæc duabus vicibus *gemellos*, atque adeo partu *undeno* vivos infantulos *tredecim* enixa est. Illa *quatuor* tantum, sed hæc *quinque femellas* edidit. Denique illa *septem* tantum *Marchiones masculos*, sed hæc *octo Duces Lignicenses* Marito suo dilectissimo osculan-

V. ROSA.
ΕΥΤΕΚΝΙΑ
Fecunditas
Psal. 127. 3.

D 3

dos

dos exhibuit. Quamquam vero pro divino suo beneplacito dimidium horum *Octo Filiorum*, unà eum *tribus Femellis* diutius inter mortales superstare noluit Omnipotens IEHOVA;

Ex Paulino
ad Pneu-
matium.

*quippe brevi functos mortalia saclo
Ut cito divinas perfruerentur opes;
Ne terrena diu contagia dediti iniquis
In fragili traherent corporis hospitio:*
duæ tamen Femella, exque natu minima, & quatuor ma-
sculi Principes adhuc superant; quos scilicet his ipsis annis
floridioribus, sub curâ & Ephoratu præstantissimorum Vi-
rorum,

in antiquam virtutem animosque viriles

Et Patris exemplum, & generosor exstimulat mens.

Frons ipsa certè atque oculi uniuscuiusque heroum aliquid & excellens de se videntur spirare; inque hac ætatulâ jam tum aliâ atque aliâ dotes ac specimina rerum laudandarum in hoc & illo sese quàm evidentissimè produunt. Sed quemadmodum in citharâ singulæ fides ita diversum ab aliis sonum edunt: ut tamen artificiosâ manu impulsâ decentem & longè suavissimum concentum edant: sic diversi illi characteres ingeniorum in nostris *Quatuor Principibus* amicissimè conspirant, in communi ad pietatem, ad virtutem, ad meliora doctrinarum zelo atque cupidine.

VI. ROSA.
ΕΤΕΤΟΡ-
ΓΙΑ.
Amor Su-
bolis.

Quis vero ille flosculus, qui proximè *ΕΥΤΕΧΝΙΑ* in uno eodemque pulvillo splendidissimè purpurat? Ecce ut sese inclinat ultro ad carpendum! Carpamus utique, & *Sex-ta* sit hæc *Inferta CORONÆ Indigetalis*. Est enim *Ευσοπία*, sive *Amor*, qui PRINCIPÏ nostræ erga numerosam hanc Subolem nequaquam proletarius aut perfunctorius (quàm sæpe talis in multitudine liberorum obuius

est

est!) sed intensissimus & verè maternus existit.

Non raro verum esse videmus, quod apud *Terentium* Servulus Comicâ vernilitate omnibus sine discrimine Matribus impingit: eas *filii* *Heaut. 5.2.*

*In peccato adjuvices, & auxilio in paternâ iniuriâ
Esse solere.*

Talis nostra hæc nequaquam fuit. Scivit potius, verissimumque habuit illud *Salomonis*: *Stulticiam aligatam esse animo pueri; que non nisi per virgam eruditionis procul ab eo depelli possit.* Quapropter in eo suam potissimum *Ευσοπία* elucere voluit; eoque communibus cum PRINCIPÏ *Marito* consiliis studiisque contendit: ut *Virga eruditionis* juventuti suæ non deesset: sed ut quàm rectissimè providentissimèque à teneris illa ungviculis erudiretur. *Prov: 22.15*

De *Cornelia Gracchorum* matre refert ex *Pomponio Rufo Val. Maximus*, cum Campana quædam Matriona, apud illam hospita, sua ipsi ornamenta, quibus illud sæculum nihil elegantius possidere credebatur, ostendisset, quod ipsam sermone traxerit: donec filii e Scholâ revenirent. Et tum, *Hæc vero*, inquit, *ornamenta mea sunt.* Haut dissimili iudicio nostra DVCISSA in *Filiis* bene educatis omnia sua cimelia, omnes gazas repositas esse arbitrabatur: horum studia & litteras comprobabat: horum industriam maternis laudibus, incentivis, promissis, muneribus, addo & quotidianis progressuum explorationibus nutriebat atque exsuscitabat. *Val. Max. l. 4. c. 4.*

Sed e *Thalamo maritali* tandem egrediamur. Jamdudum nostra oratio gestit paucis commemorare: qualis DOMINA nostra suo *Gynæceo & Aula Ducali*, qualis *civibus & subditis*, qualis omnibus in universum, clementiâ & benignitate *Eius* uti volentibus, existiterit. *Tres*

heic

22.

heic distinctæ nobis ROSÆ occurrunt, quæ *Tertium* CORONÆ *Quadrantem* pulcherrimis coloribus & odore suavissimo condecorabunt.

VII ROSA
ΕΤΔΙΑΓΩ-
ΓΙΑ
Gynæci
prudens
Ordinatio.

Prima est Εὐδίαγωγία id est, *Gynæci prudens sobriaque Ordinatio.* Scitè dictum ab Euripide est: πᾶν σὺν τροφῶν γλυκὺ: *Cuiuscumque rei aduevimus, illa grata nobis, illa acceptissima est.* Sicut igitur ab ipsâ pueritiâ Pietati, Temperantiæ, Modestîæ, Frugalitati, ceterisque sexum hunc & hanc celsam originem decentibus virtutibus HEROINA nostra vacauerat: ita toti *Gynæcio* ad easdem virtutes facem præluxit. Cùmque nullæ in ipsâ significationes vitæ incontinentioris, non gestûs indecentior, non oculi lasciuientes, non sermones, quàm pro Matronali decoro, liberaliores umquam animaduersi sint: mirum non est, omne se *Gynæcium* ad similem quamdam frugalitatem & modestiam composuisse. Ante omnia hoc unum diligentissimè præcavebat PRINCEPS *industriosissima*: ne ad pigrum & detestabile otium, ac voluptates, ad delicias & luxum Sybariticum domesticæ suæ sive Puellæ nobiles, sive Aulicæ Ministræ animum adjicerent. Quin potius præter quotidiana lectioſum sacrarum precumque religiosarum exercitia, adſiduis operis & pensis in numerum tributis eas occupari; honestisque laboribus ad propriam suo tempore familiam decenter ordinandam præparari volebat. Nam & *Virgines nobili genere*, uti & *Ancillas plebeias*, si quæ in *Gynæcio* aliquamdiu frugaliter & modestè rem gesserant, additâ dote honestis sæpenumero matrimoniis elocare non dubitabat.

VIII ROSA
ΕΤΗΡΕΙΑ
Mite in Sub-
ditos Imperium.

Erga reliquam vero *Aulam* & *subditos* cuiuscumque fortunæ aut ordinis, qualem se gesserit *Clementissima* DOMINA nostra, id ipsum ROSA *Secunda tertii* huius *Quadrantis*, quæ *Octava* numero est, quamque *Εὐνοχία*,

sive

23.

sive *Mite in Subditos Imperium* indigetare libet, nos perspicuè docebit. Celebrat *Homerus Aréten*, *Alcinói* Regis Phæacum Maritam, quòd in summo honore precioque habita fuerit

ἔκτε φίλων παίδων, ἔκτ' αὐτῆ Ἀλκινόοιο,
καὶ λαῶν.

Dilectâ à Subole, Alcinooque a Rege, ut & ipse
A populo;

Odyss. 7.

Simulque rationem subjungit tantæ omnium ordinum in *Reginam* propensionis duobus his longè pulcherrimis versiculis:

Ὅυ μὲν γὰρ τινὸς γε καὶ αὐτῆ δέυεται ἐσθλῆ:
δοιοῖντ' ἐν Φρονέησι καὶ ἀνδράσι νέικεα λύφ.

Non pro seipsâ etenim generosa mentis egebat;
Et bene quis voluit cives a lite redemit.

Hanc eandem laudem suo merito habet & habebit *DUCISSA* nostra; quæ ut ipsa per se virtutibus coruscabat omnigenis: ita earundem fructum pro re natâ in subditos liberalissimè transfundebat. Qui vel reverentiæ, vel officii vel negotii causâ accesserant: eos haut gravatè admittebat. In audiendo vero, in respondendo, in aliis compellendis, in officiis præstandis, sine supercilio, morositate aut fastidio benevolentiam erga omnes suam cum quâdam suavitate declarabat. Non quidem publicis sese consiliis & gubernationi immiscebat; neque umquam studio habuit *Vlysses stolatum* agere: potius modestè se intra *Gynæci* cancellos continebat. Sic enim decet; & *raro felix est virile imperium, quod muliebri statumine opus habet.* Sed si quâ tamen in re aliâ, sive intercedendo, sive commonendo, sive consulendo subditorum comoda promoveri potuit: nullam passâ est in se diligentiam fidemque desiderari. Quid multa? tantum nomen

E

habuit

habuit *Principis* ac *Dominae*: cetera omnia *Matrem* populi re verâ se demonstrabat.

IX ROSA
ΕΥΕΡΓΕΣΙΑ
Beneficentia.

Nam & *Matrem* experta est *Ecclesia*, cuius Ministros quàm liberalissimè semper fovit. Experti sunt *Matrem pii exsules*, ob tēstimonium *IESU* passim cheu sedibus jam suis ejeti, & miserabilem in modum hinc illinc palantes; quorum neminem sine luculentis ab sese viaticis dimisit. Experti sunt *Matrem pauperes*, quorum necessitatibus omnivariis propensâ & largâ manu, quoad potuit, semper consuluit. Numquam horum aliquem tristem aut vacuum a suo conspectu recedere passa est; ob commemorabilem hanc etga miseros & egenos benignitatem non immerito comparanda sive cum *Fla. illâ* Theodosii Maioris uxore, sive cum *Placidia* eius privignâ, aut etiam cum *Pulchriâ* nepte, quæ *feminarum Augustalium Trias* apud *Historia Ecclesiastica Scriptores*, ob pauperum curam scilicet, *Φιλοπτώχων* titulum atque cognomen in sæcula meruerunt. Atque ut breviculo & valdè rotundo *Nazianzeni* carmine omnia huius argumenti elogia complectar:

Ἄρτος, χιτῶν, μήτηρ τε καὶ λιμὴν ἔλω.
Πεινώσι, γυμνοὶς, ἐρφάνοις, τοῖς ἐν σάλῳ.

Panis, Podèris, Mater & Fortius fuit

Vacuique, lacerisque, orphanisque & naufragis.

Et dubitabit quispiam vestrum, Auditores; æquissimum esse, ut huius quoque *Beneficentia* memoriam *CORONA* nostra *Indigetalis* ad seros usque posteros propaget? Omnino æquum est, & ecce nobis ante oculos *ROSAM centifoliam* venustissimè comantem, cuius folia singula *Ευεργεσίας* nomen aureis litteris inscriptum præ se ferunt. Hæc igitur præ omnibus aliis *nonam Serti Honorarii* sedem occupato.

Restat

Restat *ultima CORONÆ Tetras*, ultimis tribus *ROSIS* honorificè investienda. Ecce vero in tempore se offert *Εὐθυμία*, *Patiens* & *Equanimitas*, cui jure optimo primus in *ultima* hac Rosarum *Triga* locus debeat. *Patiens* & *Equanimitas* Quippe in modestissimo corde *DUCESSÆ* hic flosculus ab initio quasi ætatis, per quascunque rerum ac fortunæ iniquioris vicissitudines, usque ad extremum agonem quam pulcerrimè semper emicuit. Si quid forte accidisset, quod vel ipsis ministris Aulicis largas non raro lacrimas exprimere visum est: ipsa tamen magnum & invictum inter omnia talia animum semper ostentabat: famulas bono animo esse jubebat: fletu ac mœrore ipsis interdicebat: subindeque his aut similibus vocibus eas solabatur. *Quid modi a vobis flendo fiet? quid angimini? Ad salutem nobis hæc omnia: neque diuturna erunt hæc pressura: dabit DEVS his quoque finem.* Planè sc. ad formulam illam *Horatianam*, sic pro tempore a nobis interpolatam:

Non, si male nunc, & olim

Sic erit: Sol usque redux nigrantem

Submovet noctem; neque semper horret

Imbribus aer.

Od. 10 lib.

2.

Bonus animus in re malâ dimidium est mali, non infcitè *Senex* ille *Plautinus*, hoc significare volens: bonum animuin in rebus adversis tantum posse: ut quæcumque adversitates & ærumnæ vix dimidium mali esse videantur. Sed longè plus profecerat in Scholâ *Crucis cordatissima* nostra *HEROINA*. Sic enim potius illa: *Bonus animus in re malâ singulare est bonum.* Bonus quippe animus hoc *Ipse* præstabat: ut nullam rem malam ullius mali, sed veri potius boni, quod vel *gloriandæ materiam* præbere possit, rationem habere arbitrata sit. Eiusmodi

E 2

bonum.

bonum animum non mundana Ethnicorum Sapientia, sed sola Ecclesie doctrina suis civibus insinuare potest. Etenim nulla stabilitas est, nulla firmitudo in bono animo Gentilium extra Ecclesiam: facile excutitur ille, malorum sive magnitudinae, sive diuturnitate. At vero DOMINA nostra, constans *Ecclesia Filia*, discipulaque obsequentissima a primis statim annis hoc ipsum bene didicerat: unde Bonus animus in re mala & impetrari & conservari debeat. Scivit se in gratia DEI esse per Christum: scivit, hanc DEI Patris voluntatem esse: *ut & Ipsa conformetur*

Rom. 8. 29. *imagini Filij eius*, id est, ut cum CHRISTO in terris patiat

27. *ationem dare intellectum*: scivit, *bonum esse humiliari se a DEO*, ut discat *justificationes eius*: denique & hoc

Psal. 119. 17 scivit, *minimè pares esse omnes hujus ævi perperiones*

Rom. 8. 18. *summa illi gloria suo olim tempore etiam in sese revelanda.* His igitur & horum similibus *ἰσχυροῦς* roborata quasvis curas, ærumnas, crucisque & adversitatum procellas forti animo sustinuit, non in statu *virginali* tantum, sed in *conjugio* etiam; quod etsi cetera omnia fortunatissimum *Ipsa* obrigit: quotannis tamen quasi anniversaria secum traxit novæ patientiæ exercitia, in graviditatis, gestationis, partionis & puerperii doloribus atq; molestiis. Apud *Euripidem* *Medæa* feminam oblita plus nimio audacter ait:

*ὡς τρεῖς ἀνὰ πᾶσι δα
στῆσαι θέλωτο, ἢ τεκεῖν ἀπαξ,
se se ter malle in acie contra hostem stare: quam semel parere.* Sed longum hinc facessat temerarium Ethnicæ mulieris de cruce feminis ab ipso DEO impositâ judicium. Annuæ nostræ Puerpera dulcissimo *Apostoli* solatio se refo-

1 Tim. 2. 15 cillabat adseverantis: *salvatum iri mulieres per libero-*

rum generationem, si nimirum in fide, in caritate, in sanctificatione & temperantiâ permanserint. Et profecto muliebris sexus, si divinitus impositam sibi ærumnam moderatè ferat; ita quidem ut nec tædia gestationis, nec mensium fastidia, nec morbos, nec difficultatem, immo & sævos cruciatûs pariendi, nec sollicitudinem pro fetu, nec alia sui officii detrectet; longè gratiorem DEO cultum præstat; deque genere humano longè meretur prolixius: quàm si bellicis triumphis, atque victoriis instar *Amazonum* se ostentaret, DEI interim vocatione protervius insuper habitâ.

Quæ vero oratio par esse possit celebrandæ illi *Æquanimitati*; quam præ se tulit DUCISSA nostra in morbis his diuturnioribus, toto quasi biennio ad mortem sensim *Ipsam* præparantibus? Nam crebra illa usque adeo, & postremis aliquod vicibus etiam satis periculosa puerperia, in corpusculo alioqui tenello, Epatis ac Lienis *ἐντρασίαν* planè depravaverant. Quo factò non bene nutritarum partium *ἀρεσία*, membrorum lassitudo, corporis gravitas, dolores quasi arthritici pedum manuumque, immo cachecticus totius corporis habitus paullatim consecutus est. Accesserunt ex catarrhosâ capitis constitutione continuæ destillationes in ventriculum, quæ & appetitum prosternebant: & nauscam, vomitum, tussim frequentesque screatûs concitabant. Quid inter hæc talia PRINCEPS nostra moderatissima? Ante omnia DEO immortalis, *qui vita & longitudo est dierum nostrorum, quique exitûs habet ex ipsâ morte*, vitam & valetudinem suam precibus humillimis commendabat; ab eoque sanitatem sibi, si ex usu id videretur, restitui exoptabat. Nec mora, ad eam recuperandam omnibus iis, quæ a DEO hominum generi concessa sunt, mediis utebatur. Nam & Medicorum excellentissimorum vel e longinquo etiam accersitorû opera adhi-

XI ROSA
ΕΤΘΑΝΑΣΙΑ.
Mors Beata

Deut. 30. 20
Psal: 68. 21.

bita est: & nihil eorū omniū prætermissum; quod ad morbos istos profligandos, & valetudinem in integrum restituendam facere posse videretur. Etsi vero fati sic volentibus,

nihil omnibus actum

Tantum impensis operum:

Virgil. 11.
Æn.

nullam tamen impatientis animi significationem ullo tempore de se dedit DOMINA nostra: sed divinæ se voluntati in solidum absque ullo murmure permisit. Optarim, inquiebat, siue dulcissimi PRINCIPIS Mariti mei, siue Subolis nondum educata intuitu, vitam mihi paullo longiorem concedi. Si tamen DEO meo aliter vi-

Psalms 10.

41 & 68.6.

Hebr. 13.14

Philipp. 3.

20.

sum: age fiat potius voluntas eius, qui Pater Tutorque est omnium piorum Viduorum & orphanorum. Neque enim manentem heic civitatem habemus: *πολιτευμα nostrum in calis est: quod & mihi CHRISTVS non tantum passione & morte suâ promeruit: sed etiam ascensione suâ in cælum eo sine præoccupavit: ut quocumque momento terrenum hoc corporis domicilium mihi deserendum fuerit: ibi certam æternamque mansuram stationem inveniam. Ipse præcessit, ut mihi locum pararet: ubi ipse est, me quoque esse & permanere oportet. Nihil enim, nihil omnino me separare poterit a caritate illâ DEI, quæ mihi est in CHRISTO JESU.* His & similibus sermonibus atque solatiis quovis tempore mirificè se recreabat; ut nemini obscurum dubiumve esse posset: jam tum Spiritum sanctum in cordè eius talem tantumque sensum divinæ in CHRISTO gratiæ & gaudiorum vitæ æternæ excitasse: qui omnes corporis ægrotudines, ipsamque adeo mortis acerbitatem haut difficulter superaturus sit. De quâ re etiam piè ad adstantes gloriari non dubitavit PRINCEPS *animosissima*. Ecce enim ipso e-

mortu-

mortali die cum Dn. Superintendens præ foribus adesse nunciaretur: illa licet externi Ministerii vocem maximi semper faciendam existimaret; tunc tamen præ gaudio spiritali, *Atqui ego, inquit, jam tum verum illum & caelestem Superintendentem in hoc pectore habitantem, mihi que verba vitæ æternæ dicit antem possideo.*

Re verâ sanè possedit. Nam paullo post XIV Kal. Apriles, horâ noctis undecimâ, adstante Ipsi, & memorabili planè exemplo solatia Scripturarum piè fideliterque suggerente PRINCIPE Marito, huius Sancti Spiritus, hospitis sc. sui efficace præsidio, fatalem suum agonem Christianâ fortitudine depugnavit; inque constante fiducia, confessione & invocatione CHRISTI unici Salvatoris sui, animulam sanctam DEOque caram caelesti patriæ immisit; atque ita vitam hanc terrenam, in annum usque Climactericum quintum bene Christianèque traductam longè beatissimâ *Εὐδαιμονία* terminavit. Quæ cum ita habeant, quid obstat, quo minus CORONÆ nostræ duob. tantum flosculis adhuc exornandæ, hæc ipsa *beatissima Εὐδαιμονία* ROSVLA penultimo loco speciosus intextatur?

Nam ultimam ROSAM quod attinet, non procul illa profecto anxieque nobis quærenda fuerit. Est enim *Εὐζωία* siue *Εὐδαιμονία*, id est, *Æternæ vitæ Beatitudo*. Et illa quidem ultro adest: ultro postulat pro felicissimâ *Coronâ Clausulâ* subnecti; quippe cum *Εὐδαιμονία* usque adeo firmiter arctèque cohærens: ut nullo umquam tempore ab eadem separari possit. Hanc, hanc *Beatitudinem* bene beatèque moriendo nunc in cœlesti Palatio re verâ obtinet HEROINA etiam nostrâ. Ex *Aulâ* scilicet *terrenâ* nunc translata est in *Aulam caelestem*, in *Ierosolymanam* nempe illam supernam; quam *gloria DEI* perpe-

tuo

XII ROSA.
ΕΤΖΩΙΑ
Vita Æ-
terna Bea-
titudo.

Apocal. 21. tuo illustrat; cuiusque lucerna & Templum est ipse Agnus. Ibi videt jam faciem DEI & Agni, nomenque Apoc. 22. 4. eius in fronte suâ præscriptum gestat. Nunc, nunc ve-
1. Petr. 1. 9. portavit mercedem fidei suæ, salutem videlicet æternam.

Nunc data est Ei corona vitæ, & stella matutina: nunc Apocal. 2. 10. edere ipsi licitum est de arbore vitæ, quæ est in medio Pa-
26. & v. 7. radisi: nunc amicta incedit vestimentis albis; versatur-
Apoc. 3. 5. que ante thronum DEI: & Agnum sequitur quocum-
Apoc. 14. 4. que iverit: servitque DEO die ac nocte in templo ei-
Apoc. 7. 15. us; & qui insidet throno habitat cum eâ. Non esurit
16. 17. amplius: non sitit amplius: nec in eam incidit Sol, nec
ullus æstus. Quoniam Agnus, qui in medio throni est,
pascit eam, & deducit ad vivos fontes aquarum; abster-
sitque jam tum DEVS omnem lacrimam ab oculis eius.

Quid verbis opus est? eam vivit jam vitam, quæ sola vitæ terrenæ scopus, meta atque suprema perfectio nominanda est: vitam, nulli in æternum morti obnoxiam: vitam, in quâ lætitia regnat sine mœrore: in qua sanitas est sine morbis, jucunditas sine molestiis, lux sine tenebris, pulcritudo sine deformitate, sapientia sine errore, sanctitas sine peccato, juvenus sine senio, concordia sine dissensione, amicitia sine suspitione & odiis, summa denique felicitas & bonorum omnium abundantia, sine ullo vel minimo damno aut defectu.

Plexa integrè CORONA jam est, & pulcerrimarum ROSARVM Infertis, quanto potuit studio ornatuque, circumvestita. Splendet in eâ, ut videtis, primo loco Eudæa PRINCIPIS, hoc est Serenissima illa Natalium Celsitudo; juxtaque illam nitidissimè purpurat Eudæa & Decorum Virginale. Inde tres ROSAS Conjugales, rotidemque Imperiales florem odoremque de se suavissi-

num spargere animadvertis. His Eudæa superaccescit, flosculus per omnem vitam demortuæ DUCISSÆ gratissimus; donec Beata Mortis & Æterna Beatitudinis ROSÆ Circulum omnem perfectè consummarunt.

Quod restat, veniam mihi dari postulo: ut Te JOANNES-CHRISTIANE Princeps Domineque Clementissime brevibus appellet oratio hæc mea. Nam quorsum attinet hoc rerum statu semper Te obitum, Libitinam, sepulcrum, cineres dulcissimæ Conjugis, Tuamque solitudinem & liberorum orbitatem cogitare? Altius elevanda mens est, & DEI JEHOVÆ Sanctuarium ingrediendum; nostraque & conditio & persona quam in hac mundanæ fabulæ scenâ gerimus, penitus contemplanda: denique humana omnia transcendenda sunt; inque ipsos cælos subvolare Te oportet. Sic mille tibi argumenta succurrent: quæ luctum præsentem, si non planè restinguere, at mitigare tamen & lenire quàm certissimè poterunt. Quid enim? Mortua est tua DOROTHEA-SIBYLLA. Atqui non aliâ olim lege nata fuit: quam ut suo tempore morderetur.

Constat, æternâ positumque lege est,

ut natura peccato polluta mortem, cui devota est, omnibus horis expectet. *Jub. singulos conferre rationem: nulli contigit impune nasci,* verè & sapienter ait Romanorum sapientissimus Seneca. Adde, quod Illa non mancipio Tibi addicta, sed usui tantum data ad tempus fuit. Depositum fuit, non res propriè tua. Quin igitur æquo fers animo: ut quod suum est Dominus pro libitu abs Te repetat. *Pessimi debitoris est, Creditori sua repetenti convicium facere,* inquit idem Seneca. Immo vel gratiæ debentur Depositori Deo, qui tam preciosum depositum non modo tam diu, sed tanto etiam cum fenore fructuque apud Te hæctenus residere passus est, Errat enim

Psalm. 73.
17.

Consol. ad
Polyb. c. 30.

Consol. ad
Marc. c. 10.

32.
Consol. ad Polyb. c. 29. enim, vel teste iterum *Senecâ*, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi presentium. In præteritis etiam acquiescendum est. Certiora quippe sunt, quæ abierunt: quia de illis, ne desinant, non est timendum.

At fortasse mali quid per mortem obtigit dilectissimæ *Tux Marita*? Immo vero mala omnia sic declinavit.

Rom. 6. 7. Liberata nimirum est a corpore mortis hujus: exempta est vanitati a quâ vel bruta animantia omnesque res ina-

Rom. 8. 20. nima usque ad ligna & lapides liberari cupiunt, teste Apostolo. Immo & miserandis cladibus atque ruinis regnorum, quæ præ foribus jam sunt, tempestivè præcepta est. Interim quæ bona moriendo acquisiverit, paullo ante dictum est. Corpus quidem mortuum est propter peccatum: Spiritus tamen vita est propter justitiam. Sed

Rom. 8. 10. neque corpus etiam omnino mortuum est: dormit tan-

Ioan. 11. 11. tum, & placidissimè requiescit a laboribus suis. Mox

Apoc. 14. 13 erit, & fortasse brevi erit, ut ex fatali hoc somno expergefactum beatissimæ suæ Animulæ reduniatur, & in cælesti gloriâ cum omnibus Angelis & Electis, in conspectu S. Trinitatis exsultet ac triumphet. Et quamquam *Costa*

2. Sam. 12. 23. hæc *Tua ad Te reditura non est: Tu tamen suo tempore redibis ad ipsam.* Quid: quod magnâ etiam sui parte adhuc tecum est. Vivit illa tibi, si nescis, vivit atque perennat etiamnum in Filiis & Filiabus magnæ indolis, certæque & præclaræ expectationis: neque potest *Celsitudo*

Tua amorem pristinum continuare feliciter: quàm in Subole hæc egregiâ & numerosâ deinceps se oblectando; & quod facit, operam dando: ut piè illa accuratèque in do-

Eph. 6. 4. *ctrinâ & admonitione Domini* educetur. Sanè quàm insanabile vulnus acceperis in hoc funere; quantamque jacturam feceris domestici & intimioris sive consortii, sive fidei, sive solatii, auxilii & obsequii: nemo nostrum est,

qui

33.
qui vel ignoret: vel non sincerissimo adfectu fortunam hanc Tuam miserari videatur. Sonticæ omnino causæ tibi suppeditant ad lugendum, immo ad prolugendum. Sed quid tamen hæc facias? Scio, quâ in DEVM pietate & obsequio es, inter medios tamen singultus & lacrimas cum *Davide* dicere poteris: *Obmutesco, neque aperio os meum: quia tu IEHOVA fecisti.* Quæ IEHOVA facit, *Psal. 39. 10.*

quæcumque suis immittit fidelibus, bona utique sunt, etsi pessima videantur. Omnia siquidem, omnia, ac proinde & mala, diligentibus DEVM simul conferunt in bonum. *Rom. 8. 28.*

Atque obsecro Te quàm utilia, quàm salutaria hæc sunt: in peccati agnitione odio fugâque sensim proficere: habere semper ante oculos, quæ fidem, spem, patientiam, timorem atque invocationem DEI in nobis exsuscitent; nosse rerum humanarum instabilitatem: mundum & mundana omnia huius non æstimare: cælestia unicè anhelare: cælestia adfectare: pio denique moriendi desiderio adfici; & mortis memoriam atque meditationes numquam planè ex animo dimittere. Crede mihi, hæc ipsa commoda ex præsentè hac crucis palæstrâ & T^æ Celsiti, expectanda sunt; neque passurus fuisset Benignissimus DEVS in hunc Te gravissimum luctum incidere: nisi his ipsis virtutibus bene solidèque præcultum instructumque Te voluisset.

Quòd si exempla quoque, sacra, profana, vetera, recentia intueri voles eorum, qui similia passi sunt, & quidem æquo animo, suâque insigni cum utilitate passi sunt; numquam scio committes: ut de ferendis humanæ vitæ casibus Auctor non Christianus magis Christianè videatur scripsisse: quàm Tu re & nomine *Christi inus Princeps* præsentem hanc ærumnam sustinuisse existimeris. Sic autem ille: *Ad hoc Sacramentum adacti sumus, ferre mortalia; nec perturbari his, quæ vitare nostra potestatis non est. In regno nati sumus: DEO parere libertas est.* *Seneca de Vitâ Beatâ c. 15.*

F 2

Interim

Interim *Tu Optima, Tu desideratissima* PRINCIPUM; cui hesterno hodiernoque die *Exsequias* pro copiolâ nostrâ non sine largis lacrimis ivimus, SALVE ET VALE! iterum dico SALVE ET VALE; quamque *Tibi Mortuae* COROLLAM, de virtutum tuarum ROSIS hac horulâ utcumque festinavius, eam scito vix millesimam laudum Tuarum particulam circuitu suo complecti potuisse. SALVE unicum PRINCIPIS nostri, nuper heu *Mariti Tui*, solatium, nunc desiderium! SALVE inquam, specimen & character optimæ benignissimæque *Domine* o DOROTHEA SIBYLLA! In quo beatissimo semperque nobis desiderabili nomine fas mihi hodie sit terminare dictionem meam; quamquam, ut quod res est, fatear, neque voluntati meæ, neque auribus opinor vestris, neque tantæ laudibus HEROINÆ, neque personæ etiam Oratoris ullo hodie pacto satisfactum a me sit.

At vero tibi *Omnipotens & benignissime* DEVS PATER ingenite, FILI ex Patre unigenite, SPIRITVS SANCTE de utroque procedens, & in utroque æternum permanens, Tibi inquam *Sancta & Individua* TRINITAS, une & æterne DEVS, sapiens, iuste & misericors, TIBI igitur grates, quas possumus, maximas persolvimus, quod inter tam crebros non tantum familiarum Regiarum & illustrium, sed & Imperiorum interitus atque ruinas, tamen *Inclitam Arborem* PIASTEAM continuis hisce retro *novem sæculis* florere; & per clarissimos *Principes, Reges, atque Dynastas* legitimâ Conjugii propagatione sibi mutuo succedentes, usque ad *Celèstimos & Optimos* nostros PRINCIPES IOANNEM - CHRISTIANVM & GEORGIVM - RVDOLPHVM *Frr. Duces Siles. Lign. & Bregenses* gloriosissimè propagari voluisti. Sed & hoc singulare tuum munus est, o Clementissime Pater, quod

nostro

nostro hoc tempore DOROTHEA-SIBYLLA, tot summis dotibus abste cumulata *Semidea*, quasi calitus tori vitæque focia nostro PRINCIPUI adjuncta fuit; cum quâ in annum usque *quintum & decimum* non tantum suavissimè hactenus victitavit; sed complures etiam rarissimæ generositatis surculos PIASTEÆ *Arbori* insertum ivit, ad gloriam sc. eius in finem usque sæculi feliciter perpetuandam. Quando vero atrocita nostra & multivaria peccata hanc quoque inter alias calamitatem nobis attraxerunt: ut tam pia, tam prudens, tam amabilis, tam clemens & benefica HEROINA, nostro omnium maximo cum damno luctuque ante diem nobis prærepta sit: tamen vel duplici hoc nomine sempiternas tibi grates laudesque profitemur, o *misericors* DEVS: quod & totam vitam tantæ PRINCIPIS tam commemorabile speculum & illustre theatrum esse volueris virtutum longè maximarum: & mortem quoque eius tot testimoniis divinæ tuæ in CHRISTO gratiæ, tamque illustri exemplo Christianæ fidei, spei, tolerantæ confessionis & invocationis tui sanctissimi nominis obsignare non dubitaris.

Interim rogamus te supplicibus votis o DEVS *Pater misericordiarum, condona iniquitatem populi tui: te- Psal. 85. 3.*
ge omne peccatum nostrum. Aufer queso omnem excandescitiam tuam: averte te ab estu ira tua. Revertere potius JEHOVA revertere: pœnitent te pro-
pter servos tuos, & propter unigenitum Filium tuum, Re- Psal: 90. 13.
demptorem ac Mediatorem nostrum, gratiam fac nobis. Nominatim Spiritu cælestis tui solatii ac patientiæ magis magisque reple pectus *Excelsissimi nostri* PRINCIPIS: ut vulnus hoc mœstissimæ viduitatis cordi suo altissimè inflitum non tantum æquâ Christianæque mente sufferat: sed etiam sub mediâ hac cruce paterni tui erga se favoris radios quamplurimos oculis fidei quotidie apprehendat. For-

F 3

tuna

36.

tuna quæso totam gubernationem ejus: da prosperam va-
letudinem, & adjuce ætati eius annos, dulcissimæ Conjugi
præmaturâ hac morte detractos.

Commendamus præterea Tibi o DEUS *Juniorum*
PRINCIPVM utriusque sexus partim infantiam & pueri-
tiam, partim succrescentem adolescentiam. Tu qui *Pa-*
ter es orphanorum, etiam *Matris* personam & adfectum
heic induc, sive in tenellis adhuc benignè nutriendis: sive
in omnibus piè, generosè ac sapienter educandis, in salu-
tem scilicet totius Patriæ, & Ecclesiæ unigeniti Filii tui ul-
teriora in his terris præsidia atque hospitia.

Psal. 80.13.
& seqq.

Inprimis inquam hoc facito ob Ecclesiam Filii tui;
quippe cuius *maceras jam passim hostes usque adeo diri-*
piunt: ut carpant eam omnes viatores. Ecce ut depascunt
jam eam animalia silvestria! O DEUS exercituum
revertere jam: intueri e caelo & respice, ac visita vitem
hanc; surculum, quem plantavit dextera Filii tui, &
palmitem, quem tu ipse roborasti tibi. Tum non rece-
demus abs te: in vitâ conserva nos: & nomen tuum in-
vocabimus. O Jehova DEVS exercituum refocilla
nos: fac ut luceat erga nos facies tua: tunc servabimur.

Denique da nobis omnibus & singulis, quos *beatissis-*
ma nostra PRINCEPS, Divis jam Calitibus adscripta, in
miserimo hoc terrenæ servitutis carcere post se reliquit: ut
quique nostrum, suo loco ac tempore, consimili ipsam fi-
de, constantiâ & alacritate ad cœlestem libertatem atque
beatitudinem Filiorum DEI subsequamur. *Moriatur*
anima nostra morte huius Iustæ, & sit finis noster sicut
Illius.

Num. 23.
14.

Hebr. 12.
22. 23.

Sic, sic & nos tandem aliquando in *caelesti illâ Iero-*
solyma, in conventu universali & Concione primogenito-

TMYA

rum, in caelis jam olim conscriptorum, inter mille myri-^{73.}
adas Angelorum, æternum *exsultabimus in te I E H O-* *Psal. 35. 9.*
U A Patre Filio & Spiritu sancto: & in seculum se-
culi gaudebimus in salute tuâ, A M E N.

DIXI.



BREGÆ,
Typis Augustini Gründeri.
A. CHR. c1o lccx xv.



LACRYMÆ SACRÆ,
IN FUNERE PUBLICO
ILLUSTRISS^z PRINCIPIS
AC DOMINÆ,
DN. DOROTHEÆ
SIBYLLÆ,
MARCH^s EX SERENISS^s
ELECTOR^m BRANDEBURG^m
DOMO,
DUC^{is} SILESIAE
LIGNICENS^{is} AC BREGENSIS
PR. EID. MAIAS
AN. cl. lccxxv.
INTER SUSPIRIA ET EULOGIA
PROFUSÆ.